NUDA VERITAS SIUE APOLOGETICA DILUCIDATIO CUJUSDAM EPISTOLÆ...

Caesar Dignier, Georgius Toler

1903. 15

XXXIV
DIGN.
1640

NVDA VERITAS,

SIVE

APOLOGETICA DILVCIDATIO

Cuiuſdam Epiſtolæ Capituli Conimbricenſis
Ad inſtantiam Patrum Societatis
Directæ ad VRBANVM VIII. Pontif. Max.
Auctore CÆSARE DIGNIER quondam Solipſio,
Ex ipſiuſmet Scriptoris Authographo deprompta;
Correctior quidem,
Sed & in Multis Clarior, in Nonnullis Auctior,
Quam anno 1646. per GEORGIVM TOLER edita,
Ex qua tamen in Fine appoſita,
Quæ in Nouiſsima hac Editione Corrigenda,
Et Quæ Immutanda, vel Addenda
Videri queunt.

Addita quoque CLAVIS omnium ferè Nominum,
Quæ in MONARCHIA SOLIPSORVM leguntur;
Vnà cum Nonnullis ex Religioſiſsimorum, Doctiſsimorumq; Virorum
P. D. ROMANI HAY Ord. S. Bened.
Ac P. Mag. DOMINICI GRAVINÆ Ord. Præd. Libris
Confirmantibus aſſerta cap. 9. huius Dilucidationis;
Cuius minùs Purum, Elegantem, Clarumq; Stylum
Sedulò attendere,
Barbariſmos, atque Solæciſmos peculiariter obſeruare
Munus eſto
A. R. P. S. P. in N. C. R. S. I.
Theologiæ Profeſſoris.

1872

Clauis reſerans pleraque nomina ex illis, quæ reperiuntur in Lucij Cornelij Europæi Monarchia Solipſorum anno 1645. impreſſa, cuius ſæpe Dilucidationis Auctor mentionem facit.

1	ABſciſſiani.	1	*Siculi*
2	Adiaphori.	2	*Nouitij ſocietatis I.*
3	Aguzulius.	3	*P. Vaſquez*
4	Aiapunij.	4	*Poloni, ſiue Cracouienſes Acad.*
5	Arontia.	5	*Collegium Maronitarum Vrbis*
6	Artifices Solipſorum.	6	*Scolares Ieſuitæ.*
7	Auidus Cluuius.	7	*P. Claudius Aquauiua Generalis.*
8	Banicornius	8	*P. Molina.*
9	Barſabantinoüs.	9	*P. D. Conſtantinus Caietanus Abbas S. Benedicti*
10	Brotocanus.		
11	Buſnatnrius.	10	*S. Ignatius Fundator.*
12	Buzardinus.	11	*Vrb. VIII.*
13	Centonati.	12	*P. Hieronymus de Alexandris.*
14	Cinimonaduſij.	13	*Franciſcani, ſiue Capuccini.*
15	Dicoſenius.	14	*Dominicani.*
16	Dubenus.	15	*P. Conine*
17	Egiaſe.	16	*Dominus.*
18	Emiſſarij Solipſorum.	17	*Eccleſia.*
19	Hellinaſius.	18	*Exploratores e P. I.*
20	Hegumeni.	19	*P. Leonardus Leſſius.*
21	Hianteſij	20	*Generales Religionum*
22	Homatazius.	21	*Theatini.*
23	Interregnum.	22	*P. Thomas Sanchez.*
24	Latinimeracij	23	*Congregatio Generalis P. I.*
25	Liardeſia.	24	*Salmaticenſes Academici.*
26	Libanotius.	25	*Sicilia.*
27	Lugarriquintinus.	26	*Epiſcopus Maronitarum.*
28	Marboreta.	27	*P. Tarquinius Gallutius.*
29	Marroſappanus	28	*Hiſpania.*
30	Mimpiloſumnus.	29	*Papa Romanus.*
31	Mitra Nobilium, & Maioris Magiſtratus inſigne	30	*P. Franciſcus Piccolomineus.*
		31	*Biretum Clericale.*
32	Monarca Solipſorum.	32	*Generalis P. I.*
33	Monarce.	33	*Prouinc. ac ſuperiores locales Soc.*
34	Mucuſalterum.	34	*Tuſculum.*
35	Muralgani.	35	*Galli.*
36	Muſarbanus.	36	*Abraham Maronita.*
37	Narimeſia.	37	*Seminarium Romanum.*
38	Nobiles Solipſorum.	38	*Profeſſi Quatuor Votorum.*

39 Palatia Monarcatum
40 Pentaſiphorus
41 Phancurſius
42 Pharſaicus
43 Picurius Populus
44 Plebes Solipſorum
45 Populi Solipſorum.
46 Potio Numidica, ſeu Potio Regia Dianorum.
47 Præſides Prouinciarum
48 Prætores, ac Præſides Vrbium
49 Princeps Ditionis
50 Pricantiburæ Regia
51 Proſcripti a ſolipſis.
52 Recyſius
53 Reſultantius
54 Renſugieſus
55 Rex Elchemæ
56 Retani
57 Rodagariſtius
58 Romulligi
59 Rumoregium
60 Salinus Geuleſius
61 Saltacydius Pogonius.
62 Satrapæ
63 Scientia degrumminata
64 Scriba ſolipſorum
65 Semtilenſe
66 Seneeſtani
67 Sinacarſius
68 Solipſi
69 Solusniani
70 Soraſiicus Eiſdenius
71 Sotirobuſi Princeps
72 Spinomantheus
73 Summonacleſtus
74 Surcabinerius.
75 Tirapherous
76 Tolencues
77 Tritubirium
78 Turbulani
79 Turemanumij
80 Viboſnatus
81 Vtoxius.

39 *Collegia, quib. præſunt Romæ P. I.*
40 *P. Gregarius de Valentia.*
41 *P. Suarez.*
42 *Laicus Coadiutor I.*
43 *Equites Melitenſes*
44 *Coadiutores Laici Societ.*
45 *Coadiutores ſpirituales Societ.*
46 *Cioccolata* Italicè.
47 *Promnciales.*
48 *Rectores, ac Præpoſiti Soc.*
49 *B. Caietanus Fund. Cler. Reg.*
50 *Domus Profeſſa Soc. Romæ*
51 *Dimiſſi e Societate*
52 *Laicus Coadiutor* I.
53 *P. Antonius Santarellus*
54 *Vicegerens Romæ Ant. Ricciullus*
55 *Magnus Magiſter Militenſiũ Eq.*
56 *Maranta*
57 *P. Garzadorus.*
58 *Galli.*
59 *Collegium Græcarum Romæ*
60 *P. Ioannes Deluga*
61 *P. I. Bap. Caſteldus Theatinus*
62 *Aſſiſtentes P.* Generalis *I* ſi vox iſta abſolutè legatur
63 *Scientia media*
64 *Scriptores Ieſ.*
65 *Melitenſe*
66 *Catanenſes*
67 *P* Heronymus *a Caſſina*
68 *P. Ieſuita*
69 *Louanienſes Acad mici*
70 *P Caralus Ventimiglia*
71 *Summus Pontifex.*
72 *P Caſar del Baſco*
73 Clemens VIII.
74 *Cardinalis Barberinus*
75 *P Ferrantinus*
76 *Veneti*
77 *Tiburtina Ciuitas*
78 *Benedictini Monachi*
79 *Meſſanenſis*
80 *P. Mutius Vitelleſcus* Generalis
81 Sixtus *V.*

EPISTOLA

SANCTISSIME PATER. *Poſt humilia Sanctorum Pedum Oſcula* Capitulum Conimbricenſe perpetuam Sanctitati *Veſtræ* exoptat felicitatem. *In hac Cathedrali quò melius Eccleſiaſtica munera obeãtur, & vt in dies creſcat Canonicorum authoritas, coadunata ex more Capitulo, conſtitutum fuit, vt S. V. exponerentur rationes, quibus cauetur, quod nec* Dei ſeruitio, *nec huius* Sedis Auctoritati, *nec* Canonicorum quieti *conueniens eſt, vt ad huius* Eccleſiæ Prębendas *vllo modo admittantur* Homines, *qui* aliquo tempore Religioſi extiterunt, *& præſertim illi, qui* quoquomodo in Societate *Ieſu Vota* emiſerunt; ne huiuſmodi Religionis DESERTORES *ex* DEFECTIBVS, *propter quos a* SANCTISSIMO Religioſorum CÆTV, *tanquam* ARIDA MEMBRA expelluntur, commodum reportent, *ſi eis repudiata Religione ad Maiora Eccleſiæ Beneficia aditus pateat, præſertim in hac Vrbe, in quam horum* EXPVLSORVM TVRBA *confluit, & in Academia, quæ hic ſita eſt, abſentis beneficijs, fructus literarum, quas in Religione didicerunt, conſequantur, cum potiùs eas exercere debent in procuranda animarum ſalute, & in præſtandis Obſequijs Religioni, cui inſeruire cęperunt. Et vt eſt huiuſmodi genus hominum* INQVIETVM, *&* AVARITIÆ STVDIIS DEDITVM, *nullum non lapidem mouent, vt vberiora beneficia, qualia ſunt huius Sedis, adipiſcantur; Quo fit, vt* eorum exemplo allecti alij *Sanctum Vitæ Inſtitutum, quod ſemel profeſſi ſunt, faciliùs deſerant; &* Conimbricenſe Capitulum *admiſſa in ſe tam* TETRA Malorum Hominum FOECE *diſpendia non modica patiatur:* Cui malo *nullo alio remedio, quam Sedis Apoſtolicę medela, occurri poteſt. Quapropter* S. V. *ſupplices exoramus, vt huic Eccleſię Sanctę Romanæ addictiſſimæ obſequijs gratiam concedat, ne ad* eius Beneficia aliquis, qui in Religione fuerit ſemel adſcriptus, admitti poſſit; *vt ſic huius Sedis ſplendor,* integrę Vitę, & Famę hominibus ad ea ſolum admiſſis, *meliùs conſeruetur: Quo ſperamus, fore vt magis hinc Dei Gloria reſultet, Sanctorumque Religioſorum Obſeruantia, & huius Sedis Authoritas veſtrę Sanctitatis gratia augeatur.* Conimbricę in Capitulo 1. die *A*prilis 1643.

CAPVT PRIMVM

De Cauſa Motiua, Efficienti, & Finali huius Epiſtolæ.

IN *Conimbricenſi Ciuitate* eſt quoddam inſigne Collegium Societatis Ieſu, e quo ſingulis annis mittuntur Euangelici Prædicatores in Indiam Orientalem; ſed *non pauciores ſubditorum dimiſſo habitu ad ſæculum redeunt*; inter quos exierunt anno 1641. quidã *Petrus Magallanus*, qui nunc præeſt Eccleſiæ eiuſdem Ciuitatis in Prima Dignitate poſt Pontificalem, & alius *Franciſcus Lopes* in eadem Cathedrali Canonicus; & dum vterque ageret de poſſeſſione, Rector Collegij Societatis, ſi nec odio, nec inuidia motus, neſcio quo zelo, & æmulatione fretus, vt eos impediret, ſuaſit aliquibus dictæ Eccleſiæ Capitularibus, non tamen Doctioribus, prædictam Epiſtolam Summo Pontifici ſcribere, & vt ipſi Canonici fatentur, *in eodem Collegio ſcripta fuit*: Rectoris Societatis opera Romam peruenit, Vbi *Luſitaniæ Societatis Aſſiſtens* negotium ſuſcepit, non ſolùm Epiſtolam præſentando Summo Pontifici, ſed etiam Sacram Congregationem, cui commiſſa fuit, Sophiſticis rationibus informando, & eiuſdem Epiſtolæ Varia exemplaria diuulgando.

Ad Epiſcopum ſcripſit Sacra Congregatio pro Informatione, & ipſe reſcripſit, *Gratiam declarandæ inhabilitatis minimè concedendam eſſe*, quia euidenter vergebat *in damnum Societatis* cuius Inſtitutum poſita dicta inhabilitate ad Beneficia nullus Prudens, aut Nobilis foret amplexurus, & in *Nocumentum Cathedralis Conimbricenſis, totiuſq; Reipublicæ Chriſtianæ*; Nam cum eiuſdem Beneficiati, regulariter loquendo, & ex maiori parte ſint indocti, non vulgare commodum, & ornamentum in illam redundat, ſi quis e Societate dimiſſus Canonicatum, vel Dignitatem adipiſcatur; quippe dimiſſi eiuſmodi *plerumque docti ſunt, Concionatores, & bene morati*, qui proinde ſplendori, & non dedecori ſunt Eccleſiaſticæ Dignitati, & Chriſtianæ Reipublicæ; eamque ob cauſam non perfunctoriæ conſiderationis erat *eos dimitti abſq; infamiæ nota*, carentes præſertim patrimonio, vt ſi inhabiles declarẽtur ad beneficia, *mendicare cogantur oſtiatim*. Quamobrem *Varijs* hinc inde Reſcriptis Sacra Congregatio *Silentium impoſuit* ſupplicationi dicti Rectoris, quamuis ſub nomine Capituli factæ, eo etiam fine, vt *Inhabilitas ad Beneficia huius Eccleſiæ Societatis induſtria ſerperet etiam ad alias*.

CAPVT SECVNDVM

De Implicationibus huius Epiſtolæ.

EPiſtola prædicta plura implicat: Miror illius inconſiderantiam; pleno calamo deſinit, notas imponit, & quod peius eſt, nec *veritatem amat, nec ſinceritatem*; imò potius *implicationes facti, & Iuris* profert, dum cauſas allegat, vt Pontificem moueat ad inducendam inhabilitatem: Earum PRIMA ita habet. *Ne huiuſmodi Religionis deſertores ex deſ. ctibus, propter quos a Sanctiſſimo Religioſorum Cætu, tanquam arida membra repelluntur, commodum reportent;* Implicat, eos *deſertores* appellando: quia nullus Societatis Religioſus poteſt licitè ex propria voluntate Religionem relinquere, ſed tenetur ex peculiari voto in ea perpetuò degere, prout conſtat ex forma Votorum Societatis; Quare *qui exeunt*, non dicuntur *Deſertores Voluntarii abſolutè*, ſed *Dimiſſi*, vt eos vocat Diuus Ignatius in Conſtitutionibus; & cum Dimiſſio ſit pœna, ſemper importat violentiam, vt indicant illa verba Epiſtolæ, *Tanquam arida membra repelluntur.* Non prudenter ergo dicit Auctor *eos deſerere Religionem*, quando illa *eos expellit*; & ſi nullus poteſt *exire*, niſi *Dimiſſus*, perperam aſſerit, *alios eorundem exemplo facilius eam deſerere*. Nec dici poteſt, *Dimiſſos committere crimina ea animo, vt propter illa eyciantur*; Quia cum ſolus Deus Corda inſpiciat, nihil certò de hac intentione poteris affirmare, niſi Societas relicta Scientia Media, qua ſemper vtitur, *ob nimiam præſumptionem plus ſapiendi*, quam oportet, *velit cum Diuina contẽdere*. Aſſerere *Beneficiarum Conſecutionem eſſe præmium expulſionis* eſt liberè dictum; quia Beneficia conceduntur iuxta Sacros Canones propter Scientiam, & Idoneitatem, & non ideò quod *concurrens antea fuerit, vel non fuerit Religioſus, nec antecedens ſtatus Religionis impedit, aut parit aliquam indecentiam, aut infamiam*; imo præſumitur concurrentem, ſaltem annis, quibus in Religione vixit, obſeruantiorem eſſe Diuinæ legis, quod maximè attendi debet in prouiſione beneficij: Damnum vero quod reſultat Soc vel *nullũ eſt*, ſi *dimiſſi vitioſi ſint*, vt Epiſtola affirmat, vel ſi aliquod, *eadem illud ſibi imputet*, ſiquidem expellit homines capaces ad procurandam animarum ſalutẽ, & qui non habent crimina ſufficientia ad expulſionem.

Exemplum quod alios allicit, vt Religionem deſerant, non eſt ſufficiens ad dictam inhabilitatem conſtituendam: Quemadmodum perperam peteret aliqua Religio, vt ſubditi inhabiles fierent ad Epiſcopatũ, eo quod hęc Dignitas collata alicui alios allicit, vt procurent, vel deſiderent exire a Religioſo Cætu per ſimilem aſſumptionem; Quint

r

mo iniquum, & iniuſtum eſt, vt minus dicam, quod Societas *velit ſubditos ad libitum dimittere nulla ſeruata forma iudiciali, defenſione, vel ſententia*, vt concedit Suarius citandus, *imò interdum ex meris ſuſpicionibus*, & tanquam ex ſcientia media iudicando de ſubditis; & *eoſdem fieri inhabiles ad beneficia*: Si ipſi egrediuntur, vt auctor Epiſtolæ ex parte aſſerit, facile eſt remedium; Auferatur Priuilegium dimittendi, vel eodem prudentiùs vtantur Superiores; Si neutrum placet, Dimiſſis offerant patrimonium, vnde honeſtè viuere poſſint; ſi deinde licet, bonis auibus dimittant, repellant, impediant, vt velleot: *Alias quo Iure, vel qua Conſcientia eos inhabiles fieri deſiderant?*

Forſan hoc petunt eo animo, vt nullus prudens ſocietatem ingrediatur? *Aut* vt ipſa Societas fiat non ſolùm *Monarchia Solipſorum*, vt quidam nouus Auctor vocat, ex dimiſſis, aut ex ſuo Cæto (vtrumque Societatis Patres ſuſpicari publicarunt); Aut etiam, vt merum, & mixtum imperium habeat in non ſubditos? Quos Epiſtola nominat *Expulſos propter defectus*, cum melius dixiſſet *Cõtemptores defectuum, & opinionum*, quibus adhærere nolunt.

Forſan metuit Societas, ne dimiſſi ſi Cannonicatus, & Dignitates obtineant, fidem faciant Principibus, quam periculosè tractetur per Societatem, *Ratio*, quam vocant, *Status*? Sed temerè ab his metuit: Quid enim vulgarius in ore hominum? ſatis dixit Incognitus Auctor in Tractatu Italico ſermone compoſito ſub hoc titulo, *Auertimento a Prencipi contra li I.* Sed conſulant Curioſi Nuperrimum ac Perilluſtrē *Auctorem Iulium Clementem Scotum* aliquando Societatis Profeſſorem in libro *æqualiter docto*, ac *Veritatis indagatore* de Poteſtate Summi Pontificis in Societatem dedicato INNOCENTIO X. Summo Pontifici; ſatis inuenient ibidem de hac re.

Non pauca etiam loquitur India Occidentalis, vbi Societas dum agit de animarum ſalute, *efficacius laborat pro conſequendis diuitijs & potentia*. Quid ſi aliquis ex illa Turba expulſa manifeſtaret cum auctoritate Sacris Congregationibus Regularium, & Propagandæ Fidei, *Societatem ſummopere ſtudere libertati, & independentiæ, quam ab ijſdē non habent reliqui Regulares, ac Miſſionarij*? Quid ſi aliquod ex illis aridis membris manifeſtet, *Societatem prætexta temporali, & non ſpirituali Suaſiſſe Principibus prohibitionem ingreßus aliarum Religionum Mendicantium in Iaponenſi imperio*? Quæramus a Batauis, an aliquem Societatis Mactarint, dum in eorū poteſtate erat apud Indos nō in odiū fidei, potiùs (vt aſſerit Societas) quam quod Epiſtolam ſcripſerit cōtra eorumdem Statum?

In Ciuitate Machao P. Gaſpar Luis Rector Societatis, & alius eiuſdem Succeſſor inſurgunt contra Ordinarium, vt oſtendant, *Maiorem eſſe Societatis Potentiam, quam Epiſcopi*. Apud Incolas, quos vo-

cant *Coſta de Peſcaria* in Inſula *Tutucorim* Societas manu armata, & formata militum copia reſiſtit Ordinario, & Chriſtianis, qui ſuo Epiſcopo obedire volebant. *Argumentum ingens*. Quid ſi aliquis Societatis ex illa Turba Eiectorum narret, Superiorem Soc. in illa Inſula tum temporis etiam prægnantem mulierem e collo ſuſpendiſſe, e qua ſuſpenſa excidit foetus! *Quid ſi aliquis* Societatis ibidem in belli conflictu clamaſſet Militibus Societatem ipſam in illo loco non teneri obedire Ordinario, nec etiam ſummo Pontifici? legantur Epiſcopi probationes de hac re. *Antiquum Bellum* narrauimus; *Modernum etiam aperiamus*. Ad eamdem Inſulam miſit Prorex Comes de Ligñares Generalem Ducem, & ſimul Archiepiſcopus ſuum Vicarium Forenſem; illis appropinquantibus obuij fuerunt *Patres Societatis* 3000. militibus *Paratos* ingreſſum impediunt, collatiſque ſignis præliatur; *Tandem Dux Pater Ferdinandus Coſta exercitum amiſit, & vitam ex propriis manibus.*

Conſideret Auctor Epiſtolæ, Vtrum in Societate ſit aliqua cauſa, ob quam minuatur illa ſpecioſa laus, quam pleno ore fundit, dum dicit *Sanctiſſimorum Religioſorum Cætum*: Poſtea diligenter exquirat omnes cauſas, propter quas Societas (*Sanctiſſimus & Religioſiſſimus Cætus*) expellat ſuos; & hinc videat, *An impleret*, dum aſſerit *hanc Turbam componi ex aridis membris, inquietis hominibus, auris &c.* Videat prudens lector, an ipſa Societas homines expellat propter Vitia; An ipſi ex maiori parte per annos, & multiplicatis Epiſtolis prouocent ad Patrem Generalem, vt eos dimittat, *allegando praxim Superiorum, eorumdem diſtribuendi modum, Iuſtitiam, Opiniones &c. MVLTVM DISTARE a forma Inſtituti, quod in prima ætate acceperant VT BONVM, & in VIRILI excludere intendant, VT MALUM, vel ſaltem vt MINVS PROFICUVM SALVTI*, non quatenus Inſtitutum Religioſum, & approbatum eſt a Sede Apoſtolica, ſed quatenus ita, vel ita applicatur a Superioribus.

Conſideret idem Auctor, *An Societas in conſcientia poſſit proferre tam ignominioſas propoſitiones contra dimiſſos*; deinde iudicet. *An Societas ſit Religioſiſſimus, & Sanctiſſimus Cætus*. Cogitet Rationes, & diſputet pro vtraque parte quæſtionem, *An plus inquietum* ſit hoc genus expulſorum, dum agit de acquirenda ſubſtantia, & Beneficijs, An ipſa Societas, dum eoſdem impedire intendit coram Principibus Sæcularibus, & quod peius, & indignum eſt, coram Summo Pontifice, inſtando, & eos cogendo falſis, & indignis rationibus, vt decernant *infames*, qui a Societate recedunt. Quid quæſo iuris habent Super. Societ. in eos, quos ſemel dimiſerunt, & abſoluerunt? An hoc modo eos cogent ad redeundum? *Magna Inuidia eſt nolle, vt promoueantur a Sæcularibus, & Eccleſiaſticis Principibus, quos ipſa Societas noluit*

luit

luit promouere ex Iuſtitia Diſtributiua. Eſne hoc Iuſtitia Vindicatiua? Sed quo iure? *Cur his intentant vindicare, eyciendo, & perſequendo?*

CAPVT TERTIVM

Proſequimur Idem Argumentum.

IN Publicam *Academiam* prouoco *Conimbricenſem Rectorem*, qui Romæ adeſt, Societatis etiam *Aſſiſtentem Negotij Procuratorem*, & alium Satis Iuuenem, qui Epiſtolam compoſuit. Apparent, ſed modeſtiæ *Larua* tegitur *V*ultus minimè candidus. Vobis Religioſiſſimi Patres, hanc facilem quæſtionem propono; *Eſtiſne Religioſiſſimus Cætus, vt Epiſtola affirmat? Eſtiſne Diui Ignatii Filij, & ipſius Regulæ obſeruantes.* Reſpondent ſubmiſſa voce *Affirmatiuè*, Dei gratia tamen, non noſtris meritis *Legite veſtrum Inſtitutum*, vbi hoc expreſſe cauetur de Dimiſſis. *Vt recedant ex Domo ſine dedecore, & ignominia; Vt Superior dimittere curet conſeruata charitate, & beneuolentia, & quanta conſolatione in Domino fieri poteſt; & circa ſtatum vitæ Superiores ſtudeant eos dirigere, vt aliquam conuenientem viã ſeruiendi Deo inueniant; & eos Conſilio, & Oratione iuuare curent, & ſi quid aliud charitas dederit; & Domeſtici non maneant malè affecti erga dimiſſum, & quantum fieri poteſt, nec de eo malè loquantur;* & plura habet his, & alijs expreſſis verbis. Hæccine eſt obſeruantia Inſtituti? Hæccine eſt Charitas Societatis? *O Magna Verborum, & facti Implicatio!* Potius expedit huiuſmodi Superiorum depoſitio, qui ſic gubernant, vt nihil curent magis, quam de ſua Monarchia non ex Inſtituto, imo contra Inſtitutum inuenta poteſtate per fas, & nefas amplianda.

Cogitet Auctor Epiſtolæ, *An ex tam mala, & magna Turba expulſorum componatur Communis Societas*, ſaltem dum erant in eadem, ſimul cum reliquis inceſſiuè, & quotidie egredientibus. Si Commune ex particularibus componitur, & malum prouenit ex quocumque defectu, *colligit* conſequentiam *Serenſſima Veneta Reſpublica*, in hunc modum: *Si Soc. ſubditos expellit, vt Genus hominum inquietum, & totum. Noſter Senatus eamdem ſimili cenſura exterminauit*, ea ſolùm politica, & Philoſophica Ratione. *Nulla enim Species Moralis bona in Communi a Vitioſis Indiuiduis abſtracta*. Colligunt, & *Galliæ Auctores* de expulſione Societatis ab illo Regno ſcribentes. Colligunt *Melitenſes Equites*, dum Societatem ab illa Inſula vi, & ignominia

ex-

exturbant. Colligunt plures aliæ Vrbes contra Societatem ex mala Suorum Superiorum Gubernatione conquerentes.

Qui exeunt a Societate, ſubditi non remanent eiuſdem Religionis: Tamen, ſi ipſi *Beneficia* conſequi intendunt, Societas eos impedit; Quod non ſolùm probat præſens *Epiſtola* a Societate facta, & præſentata, ſed plures alij experti ſunt e Societate egreſsi; inter quos numerari poteſt *Stephanus de Roſis*, nihilominus poſtea factus Hieracenſis Epiſcopus, & *alius quidam Siculus* cuius nomen non occurrit. *Caſum exprimo Singularem*. *Anno* 1646. Romæ Eminentiſſimus Cardinalis Datarius vocauit Luſitanoa ad publicum concurſum cuiuſdam Parochialis Eccleſiæ: *Accedunt* Tres, vt fama erat, quorum Duo Societatem reliquere. Quid faceret quidam eiuſdem Religionis Aſſiſteos, cui nomẽ *Cugna*, prædictæ Epiſtolæ primus motor? *Impatiens animi*, vt non expectaret examen, pergit ad Emin. Cardinalem pallidò vultu, longo naſo, curta veſte, ſubmiſſis oculis; agit de meritis concurrentium; dimiſſorum ſcientiam, & qualitatem laudat; nihilominus Vipereum Sermonem concludit aſſerendò, Eccleſiam conferendam eſſe Tertio non Dimiſſo, eò quod Senior erat. Falſum aſſeruit, ſed fruſtra. *Brachara* quidam *Gambos* dimiſſus e numero Coadiutorum, dum factus ſecularis tractat de vxore ducenda, cum dedecore Societatis idem Rector, qui eum dimiſit vt matrimonium impediret, finxit prædictum inualidè fuiſſe dimiſſum: Sed oppoſitum iudicatum fuit: Quod ergo dicimus. *Genus hominum inquietum? Societatis Catum, vel Dimiſſos?*

Quanta ſit implicatio *Epiſtolæ*, dum vocat Dimiſſos *Tetram fæcem*, ex hoc Vniuerſo *Tractatu* Colligi poteſt. ſi cauſa adſcriberetur, cur ſæpiſſimè aliqui dimittantur; *Verendum, ne Dimiſſores ad Pœnam Talionis adigerentur*. Ex Dimiſſis, & ſponte petentib. Dimiſſionẽ ob malas Tractationes, plures euaſerunt in magnos Viros, & plus Vtilitatis Eccleſiæ attulère, quam ſi in Societate manentes iugum Deſpoticum tuliſſent; Tales fuerunt inter Prìnos *Cardinalis Strigonienſis Paſmanus*, Natione Vngarus: Illum Cæſar ad Archiepiſcopatum euehere deſiderat; Contradicit Societas; inſtat Imperator, concedunt Patres, vt aſſumatur præcedente tranſito ad aliam Religionem; Summus Pontifex permittit aſſumptionem, etiam priuſquam alium habitum induat. Ita fit, Dimiſſo habitu Societatis, quæ Archiepiſcopum hac de cauſa ſuum nõ nominabat: Deinde procedente tempore *Paſmanus* factus eſt Cardinalis: Incipit Societas Purpuratum ſuum appellare; quem ne talem nominaret, prius dimiſit. *Auguſtinus Maſcardus* dimiſſus fuit, & floruit gratia Principum Eruditionis, ſtyliqœ laude, pluſquam quiuis alius Societatis Pædagogus; fuit etiam Camerarius Honorarius Vrb. VIII. *Franciſcus Herrera* dimiſſus eſt, & factus Breuium Secretarius ab eodem Pontifice. *Antonius Morellus* Archiepiſcopus Hipontinus.

Tacco,

Taceo Patrem *Ferdinandum Salazar*, quem mira arte impediuerunt: Taceo alios infinitos, qui dimiſſi in Viros ſingulares euaſerunt. Conſultores omitto Sacrarum Congregationum. Tandem nihil loquor de illis, qui nondum in Sacris conſtituti apud Principes Sæculares Dignitates conſecuti ſunt. Hos viros vocat Epiſtola *Tetram fæcem*.

CAPVT QVARTVM

De Qualitate, & Veritate Propoſitionum huius Epiſtolæ.

MOtiua *Rationes* huius Epiſtolæ eò tendunt, vt Summum Pontificem moueant ad Inhabilitatem decernendam, Dimiſſos ad hunc finem iuxta *l. ne infames Cod. de Decur. & l. 1. Cod. de his, qui non imple. ſtipend.* infamando de vitijs, & defectibus, ob quos eoſdem vocat expulſos *arida membra, genus inquietum, auaritijs deditum, tetram fæcem &c.* Quæ propoſitiones ſi libellum infamatorium non componunt, ſaltem Detractionis Vitium non euadūt; Siquidem Vniuerſus Orbis non adeò Tetros exiſtimat Dimiſſos a Societate, & meritò; *Quia per Dimiſſionem non incurrunt facti Infamiam*, quæ contrahitur Crimine Notorio; Nec ſufficit ad infamiam rumor ſparſus ab aliquo Societatis fortaſſe maioribus criminib. irretito. Quo autem fundamento infament ſæpe Societatis Viri Dimiſſos, a Theologia neſcitur; niſi fortaſſe putent, ſe etiam Dimiſſorum Famæ eſſe Dominos, & Patronos, quoſcum in Societate eſſent, renunciare famæ volebant. Quod profectò eſt nouum, & inauditum Genus Monarchiæ Humanæ. *Nec etiam incurrunt Infamiam Iuris*; Quia hęc ſolùm fit per ſententiam Definitiuam ſuper Crimine Publico; & nullus dimittitur e Religione Societatis per ſententiam in ſcriptis, ſi talem non appellamus Dimiſſionis litteras Patentes quæ aſſerunt ſubditum dimitti *Iuſtis de Cauſis*; Nec tamen aliquam nominant, vt tenentur *ex Iure* ſecundum Gloſ. *ex ſtipulat. in l. Minor 39. ff de euict. l. qui tamen 21. §. penult. ff. de Arbitr.* & cum nulla aſſeratur Cauſa, quæ ſit, vel probetur mala, talis præſumi non debent l. 5. & *ibi Gloſ. fin. Cod. de Codicillis.* Nec etiam vltimò *incurrunt Infamiam Pœnæ*; Quia egreſſio e Societate, nec ex Iure Religionis, nec ex alio eſt quid turpe. *Vnde cum Infamia*, & Priuatio Honorum ſolum alicui vno ex his tribus modis irrogari poſſint *Gloſ. Fin. in l. Eam Cod. ex quibus Cauſ. Infam.* meritò Dimiſſi a Societate Honoribus, & Dignitatibus afficiuntur a Principibus Eccleſiaſticis; & Sæcularibus. Quapropter *Auctor Epiſtolæ* Societati ſuæ

ipo-

potius detrahit, quam Dimiſſis, quos vocat propoſitionibus Contrarijs iam *Deſertores Religionis*, iam *expulſos ob Defectus*.

Quem veriorem exiſtimare debemus, itane liberè, & imprudẽter ſcribentem, an doctiſſimum Suarium eiuſdem Religionis Magiſtrum cuius doctrina non vidit lucem, niſi ab eadem Societate approbata? Eum lege tom 4. Relig. c. 13.2.n.4. dum ſatisfacit querimonijs conſuetudinis, quam habet Societas expellendi ſubditos, nulla ſeruata forma Iudiciali, & aſſerit *Electionem a Societate fieri poſſe ſolùm duobus modis, vel in poenam delictorum, vel non propter delicta, quę tam rigoroſam poenam exigant, nec rigore iuſtitię puniri poſſint, ſed ex quadam veluti contractu Religionis ob aliquam conuenientiam dimittentis, & ſubditi conſentientis, & poſtulantis.* Quando eiectio fit in pœnã tantũ, *ait Doctor*, non poteſt legitimè fieri, niſi *ſeruato Ordine in Iudicio ferẽdo de delicto*, propter quod talis pœna imponitur; *nec Conſtitutiones Societ. alio modo fieri diſponũt, nec per Bullas habet Societas aliquod ſpeciale Priuilegium in contrarium*. Quando vero dimittitur, non in pœnam, nec propter incorrigibilitatem, ſed ob alia commoda Religionis ſubdito non repugnante, ſed cõſentiente, nullus eſt neceſſarius Iudicialis Ordo, quia eſt contractus, ad quem non requiritur Iuridica Probatio. Cum ergo ſubditi exeant quotidie a Societate, non ſeruata aliquã forma Iudicij, ſed potiùs eiſdem petentibus ob cauſas, quas in ſequentibus Capitibus attingemus, & ſepe ſępius faciendo inſtantiam P. Generali pro Dimiſſione; *Manifeſtè oſtẽditur ex doctrina Suarez prędictam Turbam Eiectorũ non dimitti (regulariter loquendo) ob Crimina Tetra*, nec ob defectus, qui ſubditos conſtituant *arida membra*: Quam reſolutionem confirmat eadem temeraria Epiſtola, quę *Dimiſſos* etiam vocat *Deſertores Religionis*; *Vnde ſi Religionem deſerũt*, non eijciuntur, tanquam *arida membra*.

CAPVT QVINTVM

Continuatur Eiuſdem Veritatis Dilucidatio.

OPtimè *ex Dictis* deducitur, Epiſtolæ Auctorem, & Patrem Aſſiſtentem Negotij, & inhabilitatis Procuratorem Societatem potiùs infamare, quam Dimiſſos; Nec huius infamię *Infirma Ratio erit*, Conſiderare, *ſubditos in Societatem ingredi primæuo Iuuentutis flore, priuſquam Vitiorum practicam agnoſcant, vel etiam eorum nomina ſciant; egredi verò vt plurimùm in Virili Ætate poſt 25. & 18. annum Religionis.* Quæro; *In qua Schola Vitia Tetra didicerunt; qui egrediuntur ſponte; aut, etiam eijciuntur?* nullam aliam frequen-

quent arunt, niſi Societatem, & eiuſdem Doctrinam: Vnde ſi verum eſt apud Naturales, cum Magiſtri Doctrina, & nutricis lacte ſugi malos, vel bonos mores; *acceſſariò concedi debet, communem Societatem ita eſſe vitiorum peſte infectam, vt eorumdem luem communicet tam magnæ parti* (quam Auctor vocat *Turbam*) & cum tanto periculo totius corporis, niſi expellantur, & ferro abſcindantur ſubditi, *vt arida membra*; Conſiderandum venit a *Summo Pŏtifice* ille Medicorum Aphoriſmus, ſcilicet, *Peſtem, & tetram fœcem ſolùm gigni, vbi corruptus eſt aer*. Si ſemen flaui tritici in lolium mutat ſpeciem, & ſi arbor domeſtica fit agreſtis, vel hoc prouenit ab agricola ſeminante, & inſerente, vel a ſolo. Subditi Societatis ſunt eiuſdem Regni, & ſpeciei, Socij, & conſanguinei ſubditorum aliarum Religionum, imo ab eadem Domo egrediuntur tres, & quatuor germani fratres Religioſam Regulam amplectentes, alius Benedictinam, Dominicanam, & Franciſcanam alij, iunior, & innocentior ad Societatem pergit; poſtea nullus reuertitur parentis Domum, niſi *Iſte. Quæ cauſa? Ætaſne? Erit cum maturiori. Scientia? Alij ſunt etiam docti ſunt. Vitæ Inſtitutum? Vtrumque ſanctum ab Eccleſia* [illegible] *obatum*. Erit ergo temeraria conſequentia; *Ibi ſerpit malum, vbi eſt corruptio?* Hoc iudicet Auctor Epiſtolæ.

Neque audiendi ſunt, qui aſſerunt, alias Religiones, eò quòd non dimittant, eſſe peſſimorum hominum ſentinam; *Agnoſcimus enim in illis Martyres Virgines, Prædicatores Euangelicos, Confeſſores, & Obſeruantium Statuorum*. Si ergo aliæ Religiones, licet non eijciant ſubditos, habent viridem obſeruantiam; cur Societas eamdem habere non poteſt, niſi ſubditos expellat? Certum eſt Eccleſiam Catholicam Chriſti ſponſam pulcherrimam eſſe, ſine ruga, & ſine macula; & tamen, vt omnes Sancti Doctores fatentur, & patet experientia, in Eccleſia ſunt plures mali, & ſcelerati. Aliæ etiam Religiones ad perfectionem tendunt; nihilominus ſub hiis imperfectis non carent, vt teſtificatur Diuus Bernardus. *Sola Societas eſt perfectiſſima, Sola eſt Sanctiſſimus Cœtus*, nullos ſubditos habet imperfectos, ſiquidem illos expellit, *vt arida membra. Eccleſiam, & alias Religiones* antecedit? *O magnam audaciam!* Aliæ Religiones vnico Nouiciatus anno ſubditos cognoſcunt, & probant; *Societati tres non ſufficiunt, ſed poſt multos annos ſubditos expellit, vel ipſi eam relinquunt. O ſingularitatem, & Excellentiam!*

Vehementer ſe extollit Societas de animarum multitudine, quam e vitijs aufert, & ad Deum conuertit; ſed miror, quomodo *tantam potentiam exerceat in externas animas*, cù alia ſit *impoſſibile proprios ſubditos* [illegible] *letargo excitare*, imò ſua intereſt magnam illorum turbam expellere, *vt arida membra*.

Si *hæc omnia* non ſufficiant ad probandam iniuſtitiam Societatis in expellendis ſubditis, & implicationes, quibus hæc infamatoria Epiſto-

la illis detrahit, *aliud conficio argumentum*, & interrogo, *Quænā ſint hæc vitia, vel grauiſſimi defectus*, propter quos Societas expellit ſubditos. Si *eſſent contra Fidem*, Inquiſitioni reſeruaretur eorumdem cognitio, & pœna. Alia *vel Regulam*, vel *Tria Vota offendunt*; ac per conſequens Diuina præcepta, quæ Votis continentur; Sed cum in Societate nulla ſit Regula, quæ tales obliget nec etiam ad peccatum veniale, credendum eſt crimina, vel defectus prædictos non eſſe contra Regulā; alias dimiſſio erit nulla, ſiquidem eſt pœna grauis, &, vt tenet *Suar. cit.* non poteſt imponi, niſi *ob graue crimen, præcedente euidenti probatione, & ſententia*. Si crimina *Vota* offendant, *Reſpondeant*; An ſint *contra illam Societatis Caſtitatem*, quam eadem Societas vocat *Angelicam*, aſſerendo in huiuſmodi *Voti obſeruantia antecellere omnes alias Religiones*. Si ex effectibus cauſas cognoſcimus; *aut Societ.* fateri debet ſubditos non expellere ob vitia contra Caſtitatem, *aut illius Voti obſeruantiā aliquantulum eſſe paulòminùs ab Angelis*. Illa verba Epiſtolæ (*Defectus Grauiſſimi*, *Crimina Tetra*) conſonant, & idem valent vulgari idiomate, ac illa S. Scripturæ, quibus *praui Fratres Sancti Ioſeph* innocentem puerum coram parente *accuſarunt de crimine peſſimo*. Vel eamdem, vel diuerſam ſignificationem habeant, *Interrogo*, vt conſtet de corpore delicti, *Quo loco ſubditi talia* crimina commiſerunt? *In Societate, vel extra?* Si *ſecundum* dicas; miror, quod de illis nihil ſciat Reſpublica, quæ regulariter ſubditos Societat. laudat obſeruantes Caſtimoniam ſanctiſs. *Si affirmes*; cum tot ſint expulſi, optimè colligi poteſt, *Societatem tetris vitijs, & defectibus grauiſſimis abundare*.

Locabuntur Epiſtola, & petita inhabilitatis nō abs re erat, imò melius *Congregationē Generalē* conuocare, in qua ageretur *de impediendis vitijs grauiſſimis*, decernendo ſub aliqua cenſura, *Neminem alterius cubiculum ingredi poſſe*; imperando ſub præcepto *ieiunia tempore Aduentus Domini, & duobus, vel tribus diebus cuiuſcumque hebdomadæ per annum*; auferendo e corpore *linea induſia, & molles veſtes*; iubendo ſingulis diebus *publicas verberationes, & in Choro diu, noctuque recitationem Diuini officij* ad exemplum aliarum Religionum, *quarum plurimæ tractant etiam de animarum ſalute*.

Excuſatur Societas Prædicatione Euangelica *a Publico Choro*; Sed quia excuſatio friuola eſt, *Notandum venit*, ſubditorum huius Religionis numerum *ſexdecim millium* hominum non excedere, quorum ad *ſummum duo millia agunt* extra Domos, & Collegia de animarum ſalute; Reliqui domi incumbunt ad ſtudiū ſcientiarum; *Quæ omnia nō impediunt Diuinas laudes in Publico Choro*: aliæ enim Religiones eadem, & ſimilia habent impedimenta, nihilominus non impediunt publicam pſalmodiam ad Angelorum exemplar; & ex hiſtorijs conſtare poteſt, Religiones *S. Auguſtini*, *S. Franciſci*, *S. Dominici*, & alias plures ſub-

dicos occupare in prædicatione *Evangelica*, quam habeat Vniuerſa Societas. *Qui extra Monaſteria vagantur, nec facilè poſſunt ad illa recurrere*, non tenentur in publico Choro recitare officium: *Qui verò in Clauſtris degunt*, aliter ſe habent, paucis exceptis, aut impeditis, aut diſpenſatis. Idem ſeruatur in Societate modus, eadem praxis. Sacri Canones, vel Religioſa conſuetudo a die emiſſionis Votorum nō ſolum obligat ad Diuinum officium Religioſos Viros, *ſed etiam debiles fœminas Moniales*, quæ ſummo labore Diuinum officium ordinare, & recitare poſſunt. In Societate nec Sacri Canones, nec vetus illa conſuetudo aliquid operatur. Scholaſticorum nullus (qui tamen verè Religioſi ſunt) recitat Diuinum officium, vel aliud, niſi poſtquam Sacris Ordinibus inſignitur, quod regulariter non euenit, niſi poſt 15. & 16. Religionis annum. Si hæc omnia decerneret Generalis Congregatio, *forſan plura Vitia, & Dimiſſiones impediret*, quam prædicta Inhabilitas.

Inquirendum ſecundò hoc loco, An illa verba (*Crimina Tetra, Defectus grauiſſimi*) ſint contra *Paupertatem*? Impoſſibile eſt quod aliquis Societ. Religioſus, *Superioribus*, & *Procuratoribus exceptus*, Paupertatem offendat tetris vitijs, & grauiſſimis defectibus: *Quia abſoluta, & totalis bonorum adminiſtratio ſolum pertinet ad Superiores*, & *Procuratores*: reliqui nullo modo ſe ingerūt, nec de hac re ſuffragium aliquod habent. Verum eſt, quod Societati imponuntur ab Vniuerſo orbe nimia *Cupiditas*, & *ſollicitudo acquirendi Diuitias*, & *Hæreditates*, non tamen hoc vertitur crimini alicui ſubdito, ſed *laudi*, & *pro mercede*, aut p̄ ǽmio accipit ſubditus *diuturnam aſſiſtentiam in aliquo Collegio*, & *Ciuitate*, *deinde liberal s licentias egrediendi e Domo*, *inuiſendiq*, *Nobiles*, & *Diuites Fœminas*.

Vltimò credendum eſt, illos defectus grauiſſimos, & Crimina Tetra nō eſſe contra illam Societ. *Obedientiam*, quæ, vt ait *D. Gregor.* & in ſua Epiſtola eiuſdem Religionis Fundator, *virtutes cæteras mentibus inſerit*, *inſertaſque* cuſtodit.

Conſiderent Eccleſiæ Superiores pro vtraque parte rationes. Si Societas hoc Priuilegium dimittendi vult, vt ſeptuſiorum conſeruet ad procurandam animarum ſalutem, expellendo *Sacerdotes*, ita vt non habeant, vnde viuere poſſint, directè *contra Finem Decretorum* Concilij *Tridentini*; Senes poſt 30. & 40. Religionis an non contra *Pietatem*, Conſiderent, *inquam*, Superiores, An aliæ Religionis ſint Puræ, vel Deteriores in procuranda animarum ſalute: *Et ſi hoc medium ad hunc finem eſt eſſentialiter annexum*, concedatur alijs Religionibus: *Si ſuperfluum*, *Eccleſiaſticæ auctoritati*, & *Iuri repugnans*, conſiderent, *an auferendum*: Forſan inuenient (ſi ſecretè audiant Doctos, & Religioſos Viros Societatis) plus damni, quam commodi Religioni afferre hoc Priuilegium; Superioribus tamen in ſubditos *maximam Gladij Pote-*

 ſtatem

ſtatem, Et ſublato Priuilegio dimittendi habet Soc, totum, quod Epiſtola expreſsè petiuit; nullus ſubditus ab ea egredietur &c.

CAPVT SEXTVM.

De Cauſis, ob quas Societas expellit.

DVM *in incunabulis* erat Societas, eidem (Sanctiſſimo illius poſtulante fundatore) conceſſa fuere noua, & inaudita Priuilegia, ſcilicet, *per ſimplicia Vota ſubditum conſtitui Religioſum perpetuum, & Religionem minimè obligari ſubdito, imò poſſe illum dimittere*, claudicante ex hac parte contractu, quem non facile plerique etiam Doctiſſimi, imò prorſus non intelligunt, quo modo non ſit reciprocus, & ex vtraque parte oneroſus: Nimirum procedente tempore ſubditi ad matrimonium tranſitum faciebant, & cum votum Caſtitatis eſſet ſimplex, & matrimonium validum, petentibus Vxoribus tenebantur Superiores Subditos dimittere; Prædicto malo cum Societas occurrere vellet, poſtulauit Priuilegium; *Quod Votum ſimplex dirimeret matrimonium*; Annuit Summus Pontifex; *Vnde* clauſum fuit oſtium ſubditis egredi volentibus a Societate, & Superioribus tradita Clauis ſimilis Pontificiæ, *Quodcumq; ligaueris &c. Quodcumque ſolueris &c.* Et forſan inueniet Summus Pontifex, ſi de hoc ſecretè inquiri iubeat doctiſſimos *Viros* Societatis; *Maiorem cauſam requiri a Sede Apoſtolica ad diſpenſandum in aliquo Voto ſimplici Caſtitatis, vel viſitandi Limina Apoſtolica, quam requirit ipſa Societas ad dimittendum, & diſpenſandum cum ſubditis in Voto dirimente matrimonium, imò conſtituente perpetuum Religioſum.*

O admirabilis potentia Societatis! Summus Pontifex rarò, vel nunquam diſpenſat cum vouente Religionem de futuro, nec actualiter Religioſo. Generalis Ieſ. *ſingulis diebus, leuiſſima de cauſa diſpenſat cum actualiter Religioſo* per Vota emiſſa Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ perpetuæ, & quod amplius eſt, in *Quarto Voto Perſeuerantia Vſque ad mortem*, vt patet ex Forma Votorum Societatis.

Cauſas huius Dimiſſionis, vel Diſpenſationis oſtendere non parui momenti res eſt; Veritatem aperiemus, licet eamdem neget Auctor Epiſtolæ. Et in *Primis* non omnes dimiſſos iuſtificamus; aliquos enim cognoſcimus non adeò perfectos, vt illis fiat manifeſta iniuria in Dimiſſione. *Secundo* non loquimur de illis ob *Incorrigibilitatis* vitium expulſis; Quia ab exordio Societatis nullus Profeſſus dimiſſus fuit ob talem cauſam; & idem de alijs affirmandum eſt; ſiquidem nullus Sholaſticus

laſtieus (ita vocantur, qui nondum emiſerunt Vota in ea Societate) Societatis, vt ait *Suarius citatus*, efficitur præcedente forma iudiciali, quæ neceſſariò ex eodem Doctore, & ex iure requiritur ad expulſionem incorrigibilitatis, vel alicuius grauis criminis. Detegere intendimus, cauſas ordinariæ Dimiſſionis ſcholaſticorum, quæ ſecundum *Suarium* citatum regulariter fit ſubdito conſentiente, ex ipſius, & Religionis conuenientia præſenti, vel futura, cum fundamento contractus, & cauſæ certæ, & iuſtificatæ; alias Diſpenſatio in votis, & dimiſſio erit nulla.

Cauſas huius Dimiſſionis ad Tria Capita reducimus. PRIMVM eſt *Nimia Auctoritas, & Potentia Superiorum*; qui cum a ſubditis non dependeant in aliqua voce, vel ſuffragio, facilè negotio inflantur ſuperbia; vnde ſequitur, *ſubditos contemnere, de illiſque ad libitum diſponere in maximis, & minimis*: Imo ad talem audaciam eos euehit ſuperbia (non loquimur de omnibus, ſed de maiori parte) vt contra ſubditos minas, & verba proferant in huncmodum, *Neſcis te a Superiore habere dependentiam in fieri, & conſeruari? Te expellam a SOCIETATE. Ignoras Societatem Ius habere ſingulare? Te non indiget Religio &c.* Si ſubditus tacet, hoc ſuperbiæ attribuunt; Si forte reſpondet, maximum ſcelus; fit tempeſtas, incipiunt pœnitentiæ, & moleſtiæ, quæ quamuis ex *genere ſuo leues ſint*, tamen ex conſuetudine *Religioſam minuunt reputationem*; & cum Regulæ ſint de apicibus perfectionis, *Superiores facilè de cauſa culpas muniunt*; & cum nulla ſit defectibus taxata pœna, *facilius eam augent, & minuunt iuxta menſuram odij, vel amoris*: Si ſubditus crimen negat, pœnas non euadit, *Quia ex praxi Religionis nulla requiritur probatio, nec iuramentum, ſufficit ſecreta denunciatio inimici, vel alterius*. Si pœnis ſatisfacit, incipiunt concluſiones, vel Prima Principia contra ſubditum; *Petrus v. g. non curat de obſeruantia, & perfectione Religioſa; Non habet ſpiritum Societatis; Non benè ſentit de noſtro Regimine; Quotidie incidit in culpas; ſingulis diebus pœnas luit*. Deinde illum ex hoc in illud Collegium mittunt; honorum partem, quæ in Diſtributionibus illi deberet, facilè denegant: Tandem cum eo ſe habent, tanquam cum ſuſpecto. Cum ſubditus his ambagibus illaqueatur, apud Generalem inſtat pro dimiſſione, cauſas veras, vel fictas repræſentando; ſaltem aſſerit, ſe a Societate vexari iniuſte hoc vel illo modo: *Et cum Superiores velint oſtendere Summam Poteſtatem*, & ſubditos contemnere, præcipuè quādo agit de Dimiſſione, faciliùs eum expellunt, quam procurent eumdem ab ire, pro detinere. *En Tibi Prima Dimiſſionis Cauſa*: Si aliquis roget, An ſit ſufficiens ad diſpenſandum in Votis? Dicunt Superiores, *Cauſam Diſpenſationis ſaltem conſiſtere in eo, quod ſubditus petat dimiſſionem*; & aſſerunt, *Non eſſe dignum Societatis illum, qui vult ab illa dimitti*.

Reſpondet deinde *Auctor* Epiſtolæ, *Prouinciarum Superiores* non adhibe-

habere fidem inimicis; vel ſi alijs aſſentiuntur, P. Generalem primum motorem dimiſſionis non procedere, niſi ſecundum allegata, & probata; quapropter parum intereſt odium, vel amor Prælatorum. *Hanc ſolutionem* inſtat illa *Turba expulſorum*, aſſerendo, *Societatem non procedere forma judiciali, vt tenet Suarius citatus*; & quando in aliquo procederet, *Superiores nullũ habere, qui officium Notarij, vel Interpretis, ſeu Aſſeſſoris exerceat in iudicio, ſeu inquiſitione teſtium*. Addunt *nullum etiam formari proceſſum in ſcriptis, de quo concedatur Copia, Defenſio, vel Notitia Reo, ſed P. Generalem concedere Dimiſſionem ſecundum Informationem Superiorum Prouinciæ, etiamſi obſtet aliquid in contrarium a ſubdito allegatum.*

Hanc *ſupremam Auctoritatem* Superiorum Societatis confirmant quam plurima exempla. Aſſero vnum, vel alterum. *Primum ſit Superiorum Indiæ Orientalis*, vbi P. Viſitator *Emmanuel Dias* dimiſit a Societate P. *Lopo Andrade*, eò quod (vt fama erat) in Ciuitate Faiſo egrediendo a Collegio ebrius inceſſit per plateas Ciuitatis; poſtea mortuo Prouinciali anno 1639. eidem *Lopo* reſtituta fuit Societas. *Secundum exemplum ſit a maiori ad minus.* Coram Patre Generali *Mutio Vitelleſchio* egit P. *Michael Colomera* Profeſſus Solemnis de exitu a Societate cauſa ſubueniendi Matri, & Sororibus. Res committitur Theologorum iudicio. Iudicant, licere etiam dimiſſo habitu. *Tamen* fit contractus inter P. Generalem, & ſubditum, ſcilicet, vt *pergat ad tempus retento habitu*. Summus Pontifex Vrb. VIII. contractum firmauit quodam Diplomate. P. Vicarius Societatis ex peculiari opinione inſurgit contra dictum Patrem; Scit de licentia Pontificis; & ne illa ſuæ reſolutioni obſtaret, Diplomatis reuocationem poſtulat ab *Innocentio X. prætextu ſubreptionis. Cum Auctoritas Societatis tanta ſit, credit Summus Pontifex*; Adeptaq; reuocatione *Vicarius* Generalis ſua vtitur iuriſdictione, ſubdito inhibendo viam facultatis habitæ. Ille Romam aduolat; rationibus, & licentijs ſe defendit; Negat Vicarius, & vrget; Subditus exhibet Theologorum Iudicium de Ordine Generalis conſultum, profert chirographum P. Vitelleſchi, in quo concedit facultatem agendi cum Sũmo Pontifice; Quæ omnia *ſubreptionem* impediunt; *Itaque* ſe defendit iuridice; & Vicarius confuſus coactus eſt inhibitionem auferre, & ſubditus reuertitur Victor contra Superiorem, qui fretus auctoritate Vicarij ſiniſtrè informauit Summum Pontificem, vt reuocationem Breuis concederet. *Quid ergo erit, quando alij Superiores alterius Prouinciæ Generalem informant contra ſubditum, qui iuridicè non ſe defendit?* Poſſuntne errare, vel non? Prudentiores iudicent.

C A-

De Secunda Cauſa Dimiſsionis.

SEcundum Caput Dimiſſonis fundatur in Iure, & Priuilegiis Societatis. Datur quædam Regula Summarij, quæ aſſerit, *Defectus ſubditorum, quicunque illi ſint, poſſe manifeſtari ſuperiori per quamcunque perſonam, quæ extra Sacramentalem Confeſſionem de illis notitiam habeat*: Et in hac denunciatione, vel manifeſtatione nullum datur Iuramentum, quod eſt eſſentiale in Iudicio, & Probationibus, vt tenet *Suarius cap. 12. n. 29. tom 4 Relig. & Gloſ. Fin iur 1. Cod. de Reb. Cred. & §. ſi quis Poſtulante Inſt. de Act.* Hæc ſingularis forma operandi proculdubio orta fuit ab alio Principio Societatis, nimiru, *Quod ſubditus renunciauit omni Iuri naturæ, & etiam illi Euangelico, Corripe inter te, & ipſum ſolum.* Quæ Renunciatio an ſubſiſtat, iudicent Doctores Theologi; Vnde cum aliquis *concurrens*, vel *inimicus* vult alteri concurrenti præcedere, vel nocere, & ad hunc finem vſque ad Dimiſſionem perducere, *ficto titulo, crimen, quod illi magis placet fingit*, vel *circumſtantias auget, & detegit ſuperiori ſub ſecreto*; Vbi primum ſuperior ſcit de crimine *(quando non eſt amicus)* facili negotio *ſubditum admonet*, vel *arguit de crimine tam certo modo*, ac *ſi illud patrare vidiſſet*, & *poſtea procedit*, vt ſupra narrauimus. *vſque ad finem ab inimico intentum.*

Probo vnico exemplo Collegij Conimbricenſis; Vbi quidam Societatis iuuenis alta nocte turpi animo (vt ex circumſtantijs colligitur) iuit in cubiculum alterius Religioſi eiuſdem ætatis; & cum ab illo non vrbanè receptus fuiſſet, imò aſpere reiectus; primo mane præoccupat Superiorem, aſſeritq; zelo Religioſę obſeruantię iuiſſe in dictum cubiculū, vt videret, an intus eſſet aliquis tertius Religioſus, prout ipſe ſuſpicabatur: Tertiumque nominauit, qui eum videret, audiret, cognoſceret, an intus eſſet. Credidit Superior Primo Denunciatori; Duos alios vocat; crimen certum eſſe aſſirmat, non obſtante, quod nullus eſſet teſtis, vel aliud fundamentum. Quid facerent ſubditi, vt infamiam euitarent? Pro Dimiſſione inſtant; eamque adeptí fuere.

Et licet deprehendatur falſi delator, non tamen punitur ex alio Principio, *Quia nemo poſtea eſſet, qui aliquid deferre auderet*. Ita etiam non punitur Superior ex ſimili Principio, *Quia nemo libenter gubernaret, ſi perperam faciens puniretur*; Vnde Decretum Societatis, quod de *Pœna Talionis* conſtitutum eſt, habetur *loco Ceremoniæ*, vel tantum *contra miſeros*, contra quos Superiores pro libito vti volunt.

Datur alia Regula, quę ſubditos obligat, vt *Secreta propria conſcien-*

ſtæ Superioribus manifeſtent eoſque, (inquiunt) *vt eos meliùs gubernent.* Si Regulam adimplent, poſtea ſuperior hac notitia vtitur; *vt eßet iuridica probatio*, & aſſerit, *ſe ſubditum cognoſcere, certumque eße de crimine*; Si tamen ſubditus huic Regulę non obedit, & poſtea aliquod crimen fit publicum, *augetur poena, eò quod crimen, & conſcientiam non detexerit ſuperiori*. Hoc probat Caſus Notabilis. Quidam Profeſſus ſolemnis, cui *Gabriel* nomen erat, dum audiebat Fœminarum Confeſſiones, eaſdem ſollicitabat; De hac re ſpargitur rumor non vulgaris. Superiores, quia *Gabriel* de eorum partialitate erat, denunciantibus exceptionem inimicitię objiciunt. Inquiſitoribus accuſatur *Gabriel*; prehabitaque *Teſtium* probatione, & Rei Confeſſione publicatur ſententia, & poenę delinquenti imponuntur, prout mos eſt *Inquiſitionis*. *Vbi* primum eas *Gabriel* adimplevit, incipit Societas, & carcere, & moleſtijs &c. ita eum affligere, vt pro mutatione Religionis inſtaret. Admirantur Iuriſperiti, interrogant Cauſas, ob quas Societas *Gabrielem* moleſtet, poſtquam Inquiſitionis Tribunal eumdem ſatis pro qualitate Criminis caſtigavit? Reſpondent Societatis ſuperiores, *Crimen* ſollicitantis purgatum eſſe, non *tamen illud*, quod *Commiſerat contra Regulam cum obligatione ad manifeſtandam propriam conſcientiam*. In quo loco aduertendum; *Nullam Regulam* Societatis obligare, nec etiam ſub *Veniali*; *Nihilominus Patres fingant crimen, vbi volunt; & hic, & per vindicant ad ipſum, & ſi alio Tribunali abſolutum*.

Deinde ex *Iure* Societatis conſtat ſuperiores non teneri ſubditos gubernare *per Apices Iuris*; ex quo oritur aliacauſa malitantis; Hinc ſequitur, ſuperiores ad libitum diſponere de ſubdito, nec aliquod Ius obſervare, imo abijt in Paręmiam, *Societas non tenetur ad Ius commune attendere, quia ſui habet particulare*. Vnde quando aliquis ſubditus inſtat pro obſervantia Iuris, *Reſpond. ut Reglatt. Non ita nam illo vti*. Ex illo ſequitur, *ſuperiores malè, & iniuſtis Diſtributionibus inſtantem Deſperatorem adducere ſubditos vt agant de exitu a Religione, vel tranſitu ad aliam, vel in meudo inter ſæculares, ſi non ſint Profeßi ſolemnes*.

Aliud Privilegium habet Societas prohibens *Appellationes ad Quęcumque etiam ad Summum Pontificem, & Sedem Apoſtolicam*, niſi de *ſpeciali Summi Pontificis licentia*; Quapropter cum ſubditus clauſa ſit [illegible] appellandi ad Iudices Ecclesię quorum ſententij, poſſent compeſcere Societatis iniuſtitias, poſtulant diu ibi abeundum, etſi ſo re non obſtante Privilegio illo appellant, vel cum extero Iudice agunt, *Crimen Læſæ Maieſtatis committunt*, *ſiftis criminibus praeveniuntur a ſuperioribus coram Iudice*, vt factum fuit a non multis annis cum pluribus, qui ad *Vrbem* accuſſerunt, *Vel ante Recurſum ſubditos dimittunt, vel* [illegible] *Vel carcere, & vinculis eoſdem detinent*. Exemplo ſiat res illuſtrior. Quidam Iudæus *Barradas* inter diſputandum illuſtriſs

eccbis

verbis aduerſarium appellauit *filium presbiteri*: defertur crimen ad Rectorem non amicum; pœnam decernit rigoroſam. Reus ad Prouincialem appellat, vt quotidie fit; appellationem contemnit Rector; vrget augendo pœnitentiam. Reſiſtit ſubditus; appellationem interponit etiam Clamoribus publicis ad *Collectorem*, qui apud *Luſitanos* inſtar Nuncij Apoſtolici eſt. Deus bone. *Blaſphemauit*. Inſurgit Superior manu armata Coadiutorum in ſubditum, manus violentas imponunt, eum pedibus calcant, in tenebroſum carcerem coniiciunt, vbi pro cibo aquam, & nigrum panem, pro lecto terram concedunt: tandem poſt quatuor menſes abſque alia culpa dimittunt. *Affero alium caſum*. Quidam *P. Vega*, dum doceret Theologiam, iniuſtè fuit depoſitus: Appellat ad *Collectorem*; Reſiliunt Superiores, egreſſum e domo prohibent. Imperat *Collector* concedi Socium, & facultatem egrediendi ad litem, & ad Domum ipſius Collectoris. *Ita fit; hoc tamen modo*. Superiores admonent Socium, vt Patrem relinquant cum Iudice, & ſolus reuertatur Domum, cuius oſtium clauſum fuit dicto Patri; & hoc modo remanens in platea dimiſſus, eo quòd contra præfatum Priuilegium recurreret ad Iudicem Apoſtolicum. Suntne *iuſta* vtriuſque expulſionis cauſæ, iudicent *Eccleſiæ Cardinales*.

CAPVT OCTAVVM.

De Alia Notabili Cauſa Expulſionis.

E*t quòd* Superiores teneantur ſtare iudicio Confeſſoris in conceſſione facultatis ad abſoluendum à Reſeruatis, ijdem, ne *etiam in foro interno minueretur abſoluta Poteſtas*, contrarium poſtularunt Priuilegium Viuæ Vocis Oraculo conceſſum; vnde quamquam Confeſſarius aliter iudicet, tenaciter negant licentiam abſoluendi ſubditos a reſeruatis: *Et quia Vrb. VIII.* omnia Viuæ Vocis Oracula reuocauit, *P.* Generalis ſupplicauit pro perſiſtentia dicti Priuilegij, & illi conceſſa fuit, ſi verum eſt, quod de hac re ſubditis manifeſtari iuſſit. Ex hoc Priuilegio ſequitur, ſuperiores tenaciter negare facultatem ad Abſolutionem Reſeruatorum, niſi *ſubditus comparcat*, vel *accipiat pœnitentiam*, ex qua *ſuperior poſſit venire in cognitionem perſonæ*. Probo caſu, quem mihi extra Confeſſionem retulit idem pœnitens, cui petenti abſolutionem reſeruati per interpoſitum Confeſſorem, ſuperior iniunxit pro poenitentia, vt *ſedens in terra comederet tali die*.

Tenentur Superiores ex Iure Pontificio deputare Confeſſores ad Abſolutionem Reſeruatorum; *Tamen* Societas hoc non adimplet; & ſo-

C. lum.

lũm bis in anno per octo dies tantum duos nominat Confeſſores ad dictam abſolutionem; ſed poſtquam illos nominat, eoſdem vocat ſuperior, illiſque vel *nullam concedit iuriſdictionem abſoluendi a reſeruatis* (ſicenim fit in aliquibus Prouincijs, quamuis ſuperiores earum oppoſitum falsò obtrudant) vel *illam limitant* in hunc modum. *Reſeruata contra obedientiam Veſtra Reuerentia abſoluat abſque limitatione, quia in hoc Voto nullum committitur reſeruatum, quod ignoret ſuperior; Contra Paupertatem abſoluere poterit reſeruatum, cuius materia ſcutum moneta non excedat; Contra Caſtitatem verò, ſi non habuerit complicem.* Eaſdem Difficultates, & limitationes tentarunt facere non pauci ſuperiores in Iubilæis Vniuerſalibus, *non permitentes liberas Confeſſiones, ſed cum Confeſſarys a ſe nominatis.*

Hic aduertendum eſt, dictam expoſitionem Confeſſorum fieri illis diebus, quibus ex Regula tenentur ſubditi crimina expiare per Generalem Confeſſionem; & vt ſuperiores ſciant, An omnes ſubditi Regulæ ſatisfecerint, tranſactis illis diebus quærunt ab vnoquoque Confeſſario, Quorum ſubditorum audiuerit Generales Confeſſiones; Vnde ex *nominibus, & mutatione fixi Confeſſeris* (vnuſquiſque enim perpetuum, firmum, & vnicum habet Confeſſorem, quin ab alio poſſit abſolui) & ex *alys leuibus indicys*, aliquando falſis, & ex *licentys petitis* facilè iudicant aliqui ſuperiores, talem, vel talem ſubditum commiſiſſe reſeruatum; *Quibus de cauſis, & ex eo quod vnum, fixumque habeat Confeſſarium, Cōfeſſionis Sacramentum ita fit onerōſum, vt ſubditi quamplurimi in Deſperationem adducantur & agant de exitu a Religione*; & ſcimus non paucos eſſe ſubditos, qui per annos dimidiant Confeſſiones, ac ſi non haberent copiam Confeſſarij.

Vltimò datur vehemens ſuſpicio, quod ſuperiores iſta notitia Confeſſionis in gubernandis ſubditis vtantur. Et quia de hac re non paucæ fuere querimoniæ, P. Generalis Aquauiua hoc ſuo Decreto efficaciter prohibuit; Nihilominus tamen adhuc ſuperiores, vt eſt publica fama, in aliquibus Prouincijs vtuntur hac notitia.

In Regnis Hiſpaniæ, & Siciliæ datur *Bulla*, quam vocāt *Cruciatæ*, quæ inter alia concedit facultatem abſoluendi a reſeruatis. *Volunt* Doctores, hoc Priuilegio poſſe etiam vti Religioſos, ſaltem ex eo quod ſuperiores non adimplent *Breue Clem. VIII.* 23. *Nouemb.* 1595. quatenus illis præcipit faciles, & benignas licentias ad *Reſeruata*; *Vnde* cum illud non adimpleant, datur locus Opinionibus. Fortiter repugnant ſuperiores Societ. non ex eo quod nō velint eis vti; ſed *vt ſubditorum conſcientias in ſua poteſtate contineant*; & ideo ſupplicarunt pro Priuilegio contrario, vt eſt in *Compendio Verb. Gratiarum vſus, ne poſſint ſubditi vti Gratys, & Priuilegys a Summo Pontifice conceſſis, niſi præcedente ſuperioris Soc. licentia*; Vnde quandō aliquis ſubditus deprehenditur a

ſupe

ſuperiore, vel per denunciationem, vel detegendo conſcientiam, commiſiſſe aliquod reſeruatum, *Primum* quod interrogat ſuperior eſt, *An hoc peccatum manifeſtarit alicui Confeſſori*, *& Quis ille ſit*, *& Qua iuriſdictione ab eodem Abſolutionem obtinuerit*; Si dicat, *Virtute Bullæ*; Deus bone, O miſerum Confeſtarium; *Vocatur* a ſuperiore; illi crimen obijcitur; ſiue neget, ſiue affirmet, in carcerem detruditur; pœnis afficitur vſque ad dimiſſionem. *Si aliquis roget*, cur eundem ita vexent? Reſpondent ſuperiores, *Eò quòd Vtatur iuriſdictione Bullæ Cruciatæ contra Priuilegium Societatis*, licet hoc Oraculum ſit reuocatum. Sed qua lo cur nequeat vti ſubditus facultate Iubilæi, niſi data a ſuperioribus licētia. Ergo Societas in diſpenſandis gratijs prudentior Summo Pontifice? *Abſit*. Nonne hoc facit, *vt ſuperior ſciat, quæ ſoli Deo* nota ſunt? Nonne vt inde, quæ ſigillo, & ſecreto Clauium vel expoſita, vel exponenda ſunt, vtatur ad arbitrium? Bone Deus; *Verè Societatis Superiores diuiſum cum Deo habent imperium*, *& plenitudinem Poteſtatis ſupra Sacramenta Eccleſiæ*. Cur non potius vtuntur Scientia media?

Alias Cauſas Expulſionis omitto, quarum Vna eſt *Iniuſtitia ſuperiorum* erga ſubditos; vnde abijt in Prouerbium ſuperiorum, vt a quodam ſuperiore audiui, *In Societate nulla datur obligatio Iuſtitiæ*. Abſona propoſitio; illius fundamentum conſiſtit non ſolùm in quodam Principio ſuperiorum, ſcilicet, *ſubditos renunciaſſe omni Iuri Naturæ*, *& illi Euangelico*, Corripe eum inter Te, & ipſum ſolum *Matth.* 18. (Quod an ſubſiſtat, iudicent *Theologi*) ſed etiam in quadam Regula, quæ iubet ſubditis, *vt ſuperioribus relinquant totalem eorumdem diſpoſitionem*, Qua de cauſa exiſtimant *Prælati ſe non teneri ad Iuſtitiam* Qualis, & Quanta illa ſit apud I. conſtat ex Tractatu Hiſpanico Sermone facto a quodā Societatis ſub hoc titulo, *Amicus* Plato, *Amicus Socrates*, *ſed magis Amica Veritas*. Eum conſulant Iudices.

Omitto etiam Bella inteſtina inter ſubditos, *Odia* ſcilicet, *Accuſationes*, *Falſa Teſtimonia*, *Audaciam in loquendo*, *Punicam Fidem*, *Vrbanitatem fictam*, *& Hypocriſim &c.* Quæ omnia in Opinione ſuperiorum maximè auget Monarchiæ Poteſtatē; ſed cōtinuo prouocant ſubditos, vt ad ſæculum redeant. De hac re videri poteſt *Lucius Cornelius Auctor Monarchiæ ſolipſorum*, & ex profeſſo in Tractatu de *Bellis Inteſtinis ſolipſorum*, quem promiſit, ſi fortè iam extat.

CAPVT NONVM.

An Eiecti a Societate ſint adeò mali, vt Epiſtola aſſerit, & An Societas ſit Cœtus adeò Sanctiſſimus, vt eadem affirmat.

CVM *licitum ſit apud Theologos*, quando aliquis iniuſtè infamatur, ſe defendere, & falſi accuſatoris, vel inimici defectus patefacere; Iure optimo Dimiſſi affirmabunt, regulariter *maiora eſſe Crimina eorum ſuperiorum, qui a Societati defecerunt,* quã ſubditorum, quos ipſi exire coegerunt; Quia nullus ſubditus eiectus fuit a Societate *ob crimen, quod apud Iuriſtas cauſet aliquam infamiam,* vel *defectus, quos illis Epiſtola imponit.* Hoc benè confirmat *Suarus*, dum aſſerit *loc. cit. Societatem non dimittere Scholaſticos ob crimina, quæ in rigore iuſtitiæ talia ſint, & talem poenam exigant. ſed ob contractum, & aliquam conuenientiam Religionis, & ſubditi conſentientis*. Et ſi exeunt ob aliqua crimina, Cur Societas eos non dimittit præcedente Iudiciali forma, quæ ex eodem *Suario* requiritur, vt Dimiſſio ob crimina ſit valida? Cur etiam Religio omnes non vexat carcere, & alijs poenis, ſed aliquando eos dimittit, etſi non antecedat aliquis rumor, vel etiam culpæ venialis? Si etiam ob crimina eijciuntur, cur Societas Crimina non declarat in literis *Patentibus* Dimiſſionis? Sed ſolum aſſerit, ſe ſubditos dimittere iuſtis de cauſis, crimina tacens non ob modeſtiam, vel ſcrupulum, ſi quidem in hac Epiſtola, & in *Conuerſationibus pleno ore eadem ſine vlla probatione detegit, & fingit propoſitionibus contrarijs, & Vniuerſalibus, tanta animi libertate, ac ſi teſtimonia falſa, & iniuria hoc modo prolata ad nullam obligarent reſtitutionem.*

Si ob crimina expellit Societas, P. Generalis *cur non vult crimina declarare in ſcriptis, quando aliquis dimiſſus eadem ab illo petit?* O myſterium non vulgare Monarchiæ ſolipſorum! Cum maxima audacia operatur Societas, *Sine Iudiciali forma, ſine Defenſione Rei*, directè cõtra Ius Naturale, & Commune, imò contra Conſtitutiones Religionis; & poſtquam operatur, vult quod eius actiones ab omnib. approbentur, vt myſteria fidei, ac ſi ſuperiores Societatis haberent auctoritatem Papalem; poſtea reuuunt lucem, fugiunt ſuperiorum Tribunalia, dimiſſos curant compeſcere, & miſeria continere? *Et quo iure?* Hoc tantùm auguror; *Nihil Violentum Perpetuum.*

Calum Auctor attingit, dum vocat *Dimiſſos Arida membra, Tetram Foecem &c.* Summos Pontifices arguit, qui non ſolùm quamplurimos è

Socie-

Societate dimiſſos ad Beneficia, & ad Togam Curialem, ſeu Prælaturas vocarunt, ſed etiam ad Purpuram euexerunt (relicta prius Societate) Eminentiſs. *Cardinalem Strigonienſem*; Argute deinde Imperatores, Reges, & alios Principes Christianos, qui ſingulis diebus, cum Societatis inuidia, Dimiſſos ad honores, Dignitates, Conſilia & Magiſtratus aſſumunt. Non eſt ergo credendum, eoſdem eſſe peſſiorum turbam; imò oppoſitum aſſerendum.

Nec eſt alicuius momenti dicere, Societatem, ſubditos non expellere poſt tantos annos, & expenſas, niſi ob grauiſſimas cauſas; Quia ad hanc rationem dupliciter reſpondere poteſt. 1. *Vel non expellit* ob crimina, vt ait *Suarius*; vel, ſi aliqua ſunt, expulſio eſt nulla, non procedente forma iudiciali, quę Regulariter non præcedit, vt tenet idem Auctor loco citato. 2. *Reſpondetur*, expenſas non attendere ſuperiores, quia non factæ fuere ex proprio patrimonio, ſed ex *Communi*, quod *non tam efficaciter mouet, nec tenerè diligitur*; Ex eadem cauſa non curant de annis Religionis, nec de damno eidem reſultante; & etiam quia in eoſdem nō refunditur, ſed ſolùm per expulſionem intendunt *Vindictam, Oſtentationem potentiæ*, quæ plus æſtimatur a ſuperiore omni alio damno, & præiudicio Religionis; Imò æſtimant ſuperiores, hanc facilitatem dimittendi maximè conducere ad *Societatis* auctoritatem, *tum aliter res ſe habeat*; Minimè enim laudatur Chirurgus, qui dum medetur vulneribus, nullum alium habet medendi modum, niſi abſcindendi membra, nec Reſpublica plurimi facit Ciuem, qui ſingulis diebus famulos ſuſcipit, & e domo expellit.

Maximè hic occurrunt laudandi *Canonici S. Georgij in Alga*, vel *S. Ioannis Euangeliſtæ*, qui in aliquibus Regnis nulla vota Religionis emittunt; ſimiliter Regulares Congregationis *S. Philippi Nerij* ad libitum perſeuerant; & tamen rarò egrediuntur, nec dimittuntur. *Vtrumque Obſeruantia, & Religioſa Diſciplina exemplo quale ſit*, dicant Galli, dicant Itali, dicant Luſitani. Societas *inter meliores* eligit ſubditos, *Clauſis oculis corporis*, *& rationis* adhuc pueri eamdem ingrediuntur; *perſeuerant*, dum cæci eam ignorant; poſtquam in *matura ætate ipſius praxim vident, & cognoſcunt*, ipſam relinquunt, vel illa eos dimittit. *Miſterium*.

Secundam Huius Tituli Partem examinare durum eſt; *Sed licet ad proprium Defenſionem, & ad Aſſertionē Auctoris Epiſtolæ reprobandam*; oppoſita enim iuxta ſe poſita magis Eluceſcunt.

Sanctiſſimam appellari Societatem non dubitamus, Ratione *Fundatoris, Inſtituti, Finis, & Pontificis approbantis*; ſic etiam ex eo *quod aliquos Viros habeat Sanctimonia, & alijs perfectionibus inſignes*; Nulla enim datur Communitas, quæ Bonos, & *Iuſtos* homines non habeat. Tamen quia Auctor Epiſtolæ agens de expulſis, omnes vocat *Tetram*

Fœtem,

Foecem, Arida Membra, &c. cum tales dici non poſſint a *Viro* Chriſtiano, & agendo de Societate ſua, eam vocat pleno ore *Sanctiſſimum Cætum*, inquirendum hac de Cauſa, *An* (*eiecta dimiſſorum Turba*), *vel quæ ſit Sanctiſſima?* Illam in duas Claſſes diuidimus ; Quarum *Vna* continet ſuperiores, & Profeſſos ; *Altera* ſubditos, quos vocant Scholaſticos, & alios, qui ad literarum ſtudium non incumbunt.

Quare, An omnes Superiores, & Profeſſi ſint Sanctiſſimi ? *Affirmabit Auctor Epiſtolæ*. *Quæro*, An Sanctiſſimi dici poſſint *P. P. Chriſtophorus Ferrera*, & *Ioannes Baptiſta Porro*, qui, dum erant Prouinciales Iaponiæ, Fidem Catholicam reliquere, & ducendo *Vxores* ex *Concionatoribus Euangelicis Perſecutores Eccleſiæ* facti ſunt. Eratne Sanctiſſimus ille *Rector Sac. I. Collegij Malacha*, qui deprehenſus fuit in *adulterio* ; ob quod foemina inſtante marito *ſuſpenditur iuridicè*? Eratne Profeſſus ille *P. Salas*, qui dum ageret de introducenda Societate, ſeu Fundatione Collegij in Ciuitate *Ormus* apud Indos, videntibus Sole, & vniuerſo populo, *inuentus cum foemina*, vt euaderet mortis periculum, fugit per plateas eo modo, quo erat in lecto ? Similiter *P. Franciſcus Ciprianus*, qui poſtquam in Ciuitate *Machao* propria, ſed ficta, miracula, & reuelationes prædicauit Societate approbante, e vinculis Inquiſitionis euaſit induſtria *P. Antonij Cardim*, & *ad Mauros* ſe contulit? *P. Emmanuel de Maralès*, qui in Braſilica Regione cũ eſſet Soc. Sacerdos Profeſſus, relicta Fide ad Batauos ſe trãſtulit, & apud eoſdem moratus *Vitam degit foecunda prole* ? Omitto alios ſuperiores, & Profeſſos, de quibus conſtat non vulgaria crimina commiſiſſe. Non loquor de illo *P. Mena Hiſpano*, qui Profeſſus *iuuenculam deceptam vxorem duxit*, *ad eamq; aliquot annis*, *tanquam legitimam*, *acceſſit*; quamuis poſtea deprehenſus a Sancta Inquiſitione punitus ſit. Non loquor etiam de illis, qui ſingulis diebus tranſeunt ad alias Religiones, & Prouincias ; Nec etiam de ijs rebus, quæ fortaſse in alijs Europæ Prouincijs contingunt. Præbeat *Auctor* Epiſtolæ Rationem. Hoc faciunt, quia Societas eſt *Sanctiſſimus Cœtus*? Miror quomodo ex *Turpibus Membris* reſultet *Pulchrũ Corpus*; & Quare in Soc. non verificetur illud Philoſophorum Axioma, *Denominatio a Deteriori Parte*.

Quæra deinde Rationem, Cur Societas ex illis *Aridis Membris*, & *Tetra Foece* expulſorum recipiat regulariter omnes, qui ad Religionem regredi volunt? Cur etiam alios retinet, poſtquam illos, & eorum Crimina carcere, & poenis affecit, & non parum gaudet, quod illi velint perſeuerare? Quis eos ad Sanctitatem reſtituit? Forſan expulſio, & ſæculi nouus aer? Vel Dimiſſio eos ſanctificauit, vel quando ſecundo ingrediuntur Religionem, adhuc ſunt arida membra, & tamen componunt Sanctiſſimum corpus, ſeu Cœtum: & ſi hoc non eſt impoſſibile, idem dici poteſt de illis, qui intendunt Beneficia, & ad Honores promouẽtur.

Nec

Nec obſtat, aſſerere pro Aduerſarijs, huius Capitis & Vniuerſi Tractatus Probationes non eſſe depromptas ex Cronologia Societatis: *Quia hoc non aufert earum Veritatem*. Siquidem (licet de illis ex obliuione, vel *induſtria*, vt probabilius eſt, nullam faciat mentionem Auctores Religionis) *Triuialia ſunt, & Publica*: Quemadmodum non poteſt dici, Societatem eſſe perfectiorem Chriſti Apoſtolatu, *Eccleſia*, & alijs Religionibus, licet Euangeliſtæ, Hiſtoriæ *Eccleſiaſticæ*, & Religionum referant Apoſtolorum, Sanctorum, & Religioſorum *defectus groſſiſſimos*, quos Societas ſilentio prætermittit, *ſolum leuiſſimos* publicando, vt ſic ſtat *Sanctiſſimus Cœtus*.

Tandem, *O Adoleſcentes ingenui* (vobiſcum enim totus mihi nunc Sermo eſt) *Parentum deliciæ*, *Seminariorum ornamenta*, *Academiæ*, *et Republicæ ſpes*, quos primæuo adhuc in flore allicit ad Societatis Regulam profitendam *Religioſi Magiſtri Sophiſticus Diſcurſus*, quatenus in ipſa Societate oſtendit, ſi non ſuperbiam, ſaltem nimiam auctoritatem religioſam, & *Potentiam apud Principes*; *Vitæ in omnibus Commoditatem*; *nullas Pœnitentias, nec Ieiunia ex Regula*; *Domorum*, *& Diuitiarum abundantiam*, *aliaque huiuſmodi Puerorum allectamenta*; Quibus tegitur occultus hamus; & dololum rete: Profundo conſiderationis paſſu altum Societatis iter ingrediamini, vt labor veſter in Quietem, & veſtrorum Spes vertatur in Gaudium, vt Adoleſcentes laudemini, Viri honoremini, ſepulti viuatis, vt Parentibus Gaudium, Cognatis Auxilium, Vobis Famam, Familiæ Decus, & Patriæ Gloriam affeʀatis; *Vobis Conſulite*, Conſiderando, in *Societate Perſeuerantiam eſſe Contingentem*, *Dimiſſionem Probabilem*, *& ſemper Timendam*, *Remedium Vitæ non facile*, præcipuè tam *Potentibus* aduerſarijs, etiam contra Inſtitutum, per fas, & nefas contradicentibus: *In* Societate nullam habebitis Vocem, vel Suffragium, nec libertatis Operationem; vt *animal irrationale*, ſubditi eritis; parum dixi, vt *cadauer*, ſeu *baculus* (ita iubet Regula) qui mouetur ad libitum externi motoris etiam imprudentis: *Si Docti fueritis*, continuo oppugnabimini; *Si Nobilitate præditi*, Detractores ibidem inuenietis perpetuos: In Fratribus *Nulla erit Fides*: In Superioribus *Nullus Amor*, prout Parentes ſunt; *Iudicialis Ordo Nullus*, pro vt *Iudices*. Tandem *Aduertite*, poſt multos annos, quando Societatem Intolerabilem iudicaueritis reuertendo ad ſæculũ, aliqui ſuperiores, & ſubditi publicare facient, Vos eſſe expulſos ex defectibus grauiſſimis. Vltimò, vt *Vobis* cum *Parentũ*, *Propriaq; Perſona Honore Subſtantiam*, *& Vitam auferant odio non vulgari*, agent cum Summo *Pontifice* de *Inhabilitate* ad *Beneficia* mediante hac, vel ſimili Epiſtola, eaque *Propoſitionum* falſitate, quam oſtendimus.

Quare Optimo iure *Sacra Congregatio* Silentium impoſuit huic Infamatoriæ Epiſtolæ. *Sidem*, imo SVMMO PONTIFICI humiliter ſupplicat

plicat

plicat *Dimiſſorum Turba*, vt *Sanctitas ſua* pro bono Communi *Societatis Ieſu*, & *Reipublicæ Eccleſiaſticæ*, ſeriò cautum iubeat, *ne Societas ſubditos expellat leui de Cauſa*, diſpēſando in Quatuor Votis, ſcilicet, Tribus Religionis, & vno Perpetuæ Perſeuerantiæ in eadem, *abſque Iudiciali forma, & Maturo Conſilio*; Præterea, vt imperet, Quod Pater Generalis (in caſu, quo perſeueret dictum Priuilegium) nullum ſubditum dimittat, *Niſi priùs recurrat ad Sacram Congregationem Regularium, & ibi manifeſtet cauſam Dimiſſionis, & Probationes Criminum*; Nec hoc difficile erit, ſiquidem P. Generalis reſidet Romæ, & facilè recurrere poterit ad Sacram Congregationem, *cuius iudicium requiri debet in re tanti momenti*, ne Sacerdotes, qui ad Titulum Paupertatis Sacros Ordines acceperunt, remaneant in miſeria abſque Patrimonio, & ne infames homines, vt epiſtola eos vocat, de nouo ingrediantur Rempublicam Eccleſiaſticā non Regularem, niſi *Epiſcopis*, vel *Summo Pontifici* conſtet, an digni ſint, vt promoueantur ad Beneficia. Et quemadmodum Prouinciales Societatis neminem poſſunt dimittere, niſi priùs ad Generalem ſcribant Crimina, & eorum Probationes, quibus inſpectis ſolus ipſe Generalis dimittit; ita Generalis nō poſſit dimittere, præſertim Sacerdotes, & Profeſſos, *niſi obtenta à Summo Pontifice*, cui ſubordinatur, *cum Cauſæ Cognitione Facultate*, vel Summi Pontificis auctoritate *à Sacra Congregatione Regularium*; CVIVS etiam erit, non attenta P. Generalis, & Patrū Societatis, qui *ſæpe Crimina licentiùs fingunt*, informatione, examinare, *An Dimiſſi Capaces ſint, vel minimè, An Digni Moribus, & Doctrina ad obtinendo Beneficia, & Honores*. Ad id autem examinandum conducet mandari à *Summo Pontifice*, vt non dimittantur prædicti, *niſi expreſſis in Litteris Patentibus Dimiſſionis Cauſis, ob quas dimittuntur*; Sic enim euitabitur nona Patribus fingendorum Criminum cauſa; Quod ſi Crimina non ſufficiant ad Dimiſſionē, æquū etiā eſt, quod Sacra Congregatio decernat, vt *Patres Soc. dimiſſos alant*, ne mendicare cogantur, ſaltem dum illis Beneficia non conferantur à Principibus, *neque illos impediant*, dum ipſi pro ſe laborant, ſed potiùs iuuent, vt expreſsè eorum Inſtitutum requirit, non ſolùm erga eos, qui iniuſtè dimiſſi ſunt, ſed etiam erga eos, qui dimitti quocumque modo meruerunt.

Con-

Corrigenda : & Quæ Immutanda videri queunt , & Addenda ex Priori Editione.

PAg.1.l.8.Petrus Magallanus. *Petrus de Magalhanes*.l. 19. diuulgando. *Adde* Quorum vnum poſt longum tempus accepimus, & ſic habet pro vt ſupra expoſuimus, illudque explicabimus, *vt oſtendatur Clara*, & *Nuda* Veritas,quam Auctor voluit obſcurare p.2.l.6.iurib *Adde* non vulgares. l.24. contendere *Adde*. Et quicquid ſit de hac intentione, *ipſa* non impedit,dum remanet Priuilegium dimittendi Hoc auferatur per Sedem Apoſtolicam ; & tunc Societas habebit intentum ; ſubditos non amittet, nullus exibit, & nihil proderit prædictus animus in patrandis criminibus.p.3. l. 3. defenſione, vel ſententia *& terminis defenſionis,vel ſententia* l.6. Auferatur *Adde* male vſitatum.l 8. ſic deinde licet, bonis auibus *ſic deinde bonis auibus* l.13.ex Dimiſſis, aut ex ſuo cætu (vtrumque Societatis Patres ſuſpicari publicarunt *ex dimiſſis ex ſuo cætu*, vt ipſi Patres publicarunt.l.30. & Potentia. *Adde*. & Præterea videant docti *cap.* 19. *Monarchiæ ſolipſorum de Redditibus Societatis.* l.33.Miſſionarij *Adde*. Quid mirum, quod Societas fugiat dependentiã Sacrarum Congregationum, quando excludit illam, quam habent non ſolum Regulares,ſed etiam Regna,Reſpublicæ, & Principes Chriſtiani ab aliquo *Eminentiſſimo Cardinali Protectore*, quem ipſa Societas non admittit, imo per Priuilegium prohibet *ſubditis recurſum*,ſeu *appellationem ad Summum Pontificem*, & ad *quemcumque Iudicem*, vel *Superiorem extra Societatis Monarchiam*, niſi prius præcedat Summi Pontificis licentia, *vt videre eſt in Compendio Priuileg. Societ. verbo* Appellatio §.1.l.37.mactarint,(*aſtrarint* p 4.l. 10. de Lignates *Adde* Petrum Suares l.15. Manibus *Adde*. Reliqua de bellis Societatis lgito in cap.20. apud Cornel. Europæum l.30 a Superioribus *Adde* Religionis, quam deſerunt eo tempore, & ætate,qua nec illis ſunt conſanguinei, nec facultates,quibus in Republica conſequi poſſint Beneficia, vel Honores; imò longo experimento compertum habent, *Societatis Regulam eſſe præ omnibus alijs ſuauiorem*: nullas enim imperat *poenitentias*, vel *ieiunia*; eius ſubditi *dormiunt* ſine interruptione ab vltima hora diei vſque ad primã; *Diuinum Officium* ſolùm a Sacerdotibus recitatur,non noctu, nec publibl ico in choro; *veſtes quam aſperæ* ſint, vident cæci ; *& vita commoditates* quam magnæ, nemo eſt qui ignoret, vt videre eſt in fine huius Tractatus ; Nihilominùs hæc omnia *contemnunt non Tres*, vel *Quatuor*, ſed magna Turba, vt aſſerit Epiſtola ; *Non Ignorantes*, ſed Doctiſſimi, *Senes*, & *Iuuenes*; Non *ſolum Plebei*, ſed etiam *Principes*, & *Nobiles*; *Non duræ ceruicis*, aut *vitioſi homines*, ſed regulariter probatæ Virtutis, & bonæ

indulis l. 38. cogendo *vrgendo*. p. 5 l. 12. Inſtitutum *Adde* cap. 3. p. 2. Conſtit. l. 25. ampliãda *ampliandi, vt latè probat Lucius Cornelius* cap. 15. l. 26. ex tam mala, & magna Turba expulſorum componatur communis. *ex tam magna, & molo berba expulſorum Philoſophicè, & Mathematicè, & Moraliter loquendo componatur*. l. 41. & 42. Colligunt Melitenſes equites *vſque ad conquerentes* Colligit Melita Inſula, pluresque aliæ Vrbes de mala ſuorum ſuperiorum Gubernatione conquerentes; Non enim hic loquimur de expulſione ab Hæreticis in Odium Fidei procurata, ſed de alijs, de quibus non pauca habes in *Monarch*. ſolipſ. c. 21. Omitto illam, quam experti ſunt Patres anno 1647. in Seminario Romano tanto cum dedecore, & ignominia. p. 6. l. 30. Tales fuere *vſque ad Auguſtinus* Tales fuere inter Primos *Eminentiſſimus Cardinalis Paſmanus*, quem Cæſar voluit e Societate ad Archiepiſcopatum promouere; acriter repugnant Patres, vrget *Imperator*; *Societas* permittit promotionem, dummodò priùs habitum dimittat, & alium alterius Religionis induat, interuenit Summus *Pontifex* Vrb. VIII. Dimiſſionem approbat, deinde concedit, vt promoueatur in via priuſquam aliam Religionem delibe. *Ita factum fuit*; eaque de Cauſa *Societas Paſmanum* Archiepiſcopum *ſuum Religioſum* minimè appellauit; poſtea, vti primum factus eſt *Purpuratus*, Societas ſuum incipit nominare, & depingere, vt videre eſt in ingreſſu Collegij Romani, vbi eius effigies pendet, addita epigraphe, *Cardinalis Paſmanus Societatis Ieſu* pag. 7. l. 19. irretito *Adde* cum interim nec venialem culpam habeant, qui dimittuntur, & ſi aliqua eſt, nec domeſticis paret. l. 36. de Codicillis *Adde* ſi aduerſarij affirmant, Societatem dimittere præſtabita ſententia in ſcriptis, vt conſtat ex *Monarch. Solipſ.* cap. 21. fol. 143. vbi Auctor refert ſententiam propriam dimiſſionis his verbis *Lucius* Cornelius Europæus quadraginta annis fictè Solipſus, *Numinis noſtri irriſor; legis Naturæ, & Euangelij cuiuſdam Crucifixi ſectator; legibus noſtris palam infenſus; iudicio, & intellectu ad nutũ noſtrum non ſe abdicans: Noſtris beneficijs abutens; in Adulatores noſtros fideles crudelis; in Monarchiam dicax, Satyris, & Carminibus illudens; omnia Solipſorum damnans; denique toti Monarchiæ pernicioſus, Reus maieſtatis eſto, faciem Principes non videto, intra tres horas ab Aula, intra triduum a tota Monarchia exul eſto; ne vnquam reuertitor*. quapropter ſi hæc dimiſſio facta fuit cauſa cognita, & promulgata ſententia, idem de reliquis affirmandum eſt; *facilè* RESPONDERI *poteſt*, Dictam ſententiam eſſe fictam ſolùm ad ſignificandum, Superiores non dimittere ob aliquam cauſam iuridicam, ſed *propter quaſdam propoſitiones, & principia a Superioribus ſic poſita & inuenta contra dimiſſum, in conuerſationibus promulgata, abſque iudicialis forma*, vt benè probat Auctor *Monarch. Solipſ.* cap. 3. in Conſiderationibus circa Iudicia Societatis, & *cap.* 11. & 12. in quibus agit de *magiſtratu, forma regendi, legibus, & iudicijs Solipſorum*.

Ipſorum. pag. 8. l. 19. Probatio. *Adde* Hæc omnia affirmat Suar. l. 23. Suarez. *Adde* ſeu potiùs Societatis pag. 24 l. 32. inuſtè *inuſtè*.

Aſſertio 9. *circa Secundam Tituli Partem confirmantur ſubſequentibus.*

IN *Horto Cruſiano* edito Francofurti anno 1648 non minus pietate, quam ſcientia præſtantiſſimus *P. D. Romanus Hay* Ord. S. Benedicti *V. Confinia* §. *Medicus* fol. 391. vbi n. 8. hæc habuit; *Non habent* aſſerere noſtri Medici, quod nobis Monachis obijciant, ſi ſeipſos in ſpeculo diligenter inſpiciant; Vtique enim dicent mihi hanc ſimilitudinem, *Medice cura teipſum*. Nam & ille Medicus eſſe voluit, qui dixerat Fratri ſuo, *Frater ſine ejiciam feſtucam de oculo tuo*; ipſe autem trabem in oculo ſuo non vidit, & in eodem imò longe periculoſiore hoſpitali decubuit. *Sed quæ ſpes languidis, ſi Medicus in eodem cano defixus hæret*; *Si Medicus Medico opus habet?* hæc ſubdit ſatis appoſitè. *Certè* tantò turpius, & deteſtabilius eſt, tot hactenus e Societate Ieſu in Hæreſim, & Apoſtaſiam ſe præcipitaſſe, quanto ſe ad hæreſes horum temporum extirpandas ſingulariter a Deo vocatos, & inſtitutos eſſe profitentur. *Dominicus Gravina* Ordinis Prædicatorum in *Congeminatæ Voce Turturis* c. 12. §. 3. & c. 16 §. *Prima Cauſa* inter Epilepticos, & Leproſos immundos, qui ſeceſſionem fecerunt, numerat *Othonem Brunsfeldium a Carthuſia*, *Chriſtianum Francken*, *Marſegliam*, *Iacobum Reihing*, & *Marcum Antonium de Dominis*, omnes quondã dictæ Societatis Clericos Regulares; poſt ab Orthodoxa fide Apoſtatas; quibus addit Nicolaizantes *Men m*, & *Azenedum*. His recens acceſſit (vt me docet *Theatrum Europæũ* fol. mihi 475.) *Franciſcus Albenus*, qui anno 1635. Roma miſſus in Bohemiam ad conuertendos hæreticos, in *Valle Ioachimica* prope Ægram, ægram trahens animam, a fide Catholica turpiter deficiens, in hæreſeos latrinam prolapſus eſt, & ex oue, mutata pelle, factus lupus, cum lupis vlulare cœpit. Taceo alios minorum gentium (nã merus in ſimilibus odioſus eſt) qui per Heluetiam, Bauariam, VVeſtphaliam, aliaſque Prouincias, aut Regna ſuſpenſe Cucullæ, ex Monachos præambulones preſſo pede ſecuti, Societatem Ieſu docuerunt, nihil iam innocentibus Monachis exprobrandum ſupereſſe. Cumque *nemo repente malus* euadat ex optimo, neceſſe eſt, huiuſmodi Apoſtatarum animi morbos bene diu in Societate ſeſe inſeruiſſe ſuperioribus occultaſſe, & tractu temporis ſumpſiſſe vires. [illegible]

[illegible]

retrahente. *Hæc Hay*; qui in margine iſta imprimi voluit. *Non ſine gemitu hæc proferre compellor; ſcio, rident hæretici. Ceſſent noſtri exprobatores; & ſcandala ceſſabunt.*

Animaduertit autem peculiariter idem fortiſſimus Hæreticorum oppugnator *Dominicus Grauina e ſanctiſſimo Præd. Ord. c. 11. cong. Voc. Turtur.* impreſſ. Coloniæ *Agrippinæ* 1638. fol. 178. & cap. 16. §. 2. fol. 278. elapſo ſæculo vnum tantummodo Hæreſiarcham e Religioſis Ordinibus prodijſſe, *Martinum* ſcilicet *Lutherum*; cui euoluto ſæculo alter Hæreſiarcha reſpondit Marcus *Antonius de Dominis* e Societate; qui ſi non in multitudine dogmatum cum *Luthero* æquatur, certè veneno æqualis fuit.

AN Caſus in hac Dilucidatione allatis Perſimiles, qui in ſingulis quibuſque S. I. Prouincijs reuera occurrerunt, Publici facere Iuris poſſint, vel etiam teneantur Alij; Coram Deo id examinent, Conſiliumque a Pijs, Prudentibus, Sinceris, Doctiſque Viris petant.

A P. I. Plurimorum
Linguis, Calamis; Æquiuocationibus, Simulationibus; Falſitatibus, Mendacijs; Calumnijs, Detractionibus; Circa Aliena Facta, Dictaq; Curioſitate; Pia Aliorum Opera, Sapientiam, ac Potentiam deprimendi Cupiditate; Rerum Alienarum Concupiſcentia; Specie Maioris Gloriæ Dei, Publicique Boni; Ira, Odio, ac Mala Voluntate
Liberet Quemcumque DEVS.

Mc